

V C  
3149



Handwritten text on the right edge of the page, likely bleed-through from the reverse side. The text is partially obscured and difficult to read, but appears to be a list or index of entries.



V c  
3142

ACCLAMATIO VOTIVA,  
C V M  
**S E R E N I S S I M V S**  
E T I L L V S T R I S S I M V S  
P R I N C E P S A C D O M I N V S,  
D N: C H R I S T I A N V S I I.

DVX & Elector Saxonie,  
Sacri Rom: Imp: ARchimarshallus,  
Landgravius TVringie,  
MARCHIO MISNIE,  
BVrggravius MAGdeburgensis, &c.  
Dominus meus clementissimus, &c.

DVCE ET AVSPICE CHRISTO  
Cum excellissimis DD. FRATRIBVS  
atq; adeo universo comitatu illustrissimo & magni-  
ficentissimo salvus & incolumis ex P R A G A & M A R-  
C H I A rediret in Patriam, &c.

BONI OMINIS ergo,  
Circa Calendas Ianuarij, in felix novi anni auspiciam,

Conscripta à  
M. NICOLAO CRANIVELDO DRESD:  
Brandiorum ad Fribergam  
Pastore.

M. D C. V I I I.

Fribergæ Hermundurorum, Georgius Hoffman imprimebat.



**A**RBOR in Imperio Romano consita fatis  
 Tergemino aureolas edit honore comas.  
 Sub quâ Relligio, Themis, & cum Pace Penates,  
 Quosq; tegit reliquos Arboris umbra, sedent.  
 Illa suis imâ terrâ radicibus hærens  
 Exerit eximio vertice summa caput. (be est,  
 NAM post V ERBA DEI nil PRINCIPE majus in Or-  
 Qui si justus erit, Jvpiter alter erit.  
 Quid potes utilius terris, quid poscere majus,  
 Quàm Jovis indutum conditione Ducem?  
 Non sine lege DEVS vivit, DEVS ordine gaudet,  
 Et vult mortales cum ratione regi.  
 Is docuit legem Reges, ut Numinis instar  
 Præcellant alijs in pietate suâ.  
 Ceu fuit Amramides & Josua rector Ebrææ  
 Gentis, ad exemplum suetus uterq; DEI.  
 PRINCIPIS effigies virtutis imagine fulget,  
 Ut videas faciem, quando videre voles.  
 Cum sibi non constant terris moderamina rerum,  
 Mox fertur peregrè non DEVS esse domi.  
 Non Dux sed Pater est populi, moderante supremo  
 NVMINE, justiciam qui colit atq; DEVM.  
 Tunc florent urbes & sic exempla parantur,  
 Quando Magistratus, quod jubet, ipse facit.  
 HINC voluit proceres DEVS altâ in sede locari,  
 Et facit illustres ingenioq; beat.  
 Unde petant humiles sua jura, ut ab arbore poma,  
 Et genibus flexis invocet imus opem.

Deut: 17.  
 Psal: 82.

Qui

Qui praelustre suum populis decus altaq; dona,  
 Partiri in medium, succus & esse solent.  
 Cur aliàs Cedris Libani, cur montibus æquet,  
 Fundamenta vocans vel DEVS ipse DVCES?  
 DVmq; suas latè fibras & brachia tendit,  
 PRINCIPIS imperium stirps notat illa potens.  
 Nam genus Ascaniæ tangit radicibus imis,  
 Et spargit latices in juga celsa suos.  
 Has etiam experiens cum DANIS MARCHIA vires  
 SAXONIDVM frutici germina junxit agro.  
 Hinc vel ad usq; Daas facta hæc notissima mundo  
 Cœpit ab extremo cardine PLANTA coli.  
 Qualis ad Ebræos REGINAM illexit ab Austro  
 Vox & cor sapiens & Salomonis honos.  
 Quin fama ipsa DEI (cujus sapientia REGEM  
 Reddidit hinc clarum clarior ipsa Noto)  
 Sparsa ministerio VERBI per SAXONIS oras  
 Extulit hoc cælo germen honore suo.  
 Hoc SIONE DEI lex est egressa LVTHERO  
 Auspice, quo majus non tulit ora decus.  
 Quippe sub Austriadum terras saltusq; Boëmos  
 Extendit frondes surculus ille suas.  
 Nuper is apricâ PRAGÆ conspectus in aulâ  
 CÆsaris excellens sensit ab arce jubar.  
 SOLIS ab his radijs RV DOLPHI exceptus amicè  
 Addidit hinc Patriæ lumen & omen AVIS.  
 MILLE & quingentos cum sexagesimus annus  
 Vicerat, hunc decies Sol quoq; mensus erat:

Cant: Sal:  
 Ps: 68.72.76.

1. Reg: 10.  
 Matth: 12.  
 Luc: 11.

Anno 1607.  
 in Iunio.

Anno 1570.

A 2

Majestate



Augustus  
Electoꝝ.

Maximilianus  
Imperator.

Anno 1575.  
12. April:

Anno 1555.  
& 1557.

Anno 1568.  
in Austria.

1. Sam. 18.

2. Sam. 1. &  
20. 6.

Majestate pari sub limina regia P R A G Æ  
 Augurijs letis E N S I F E R intrat avus.  
 Hic quantò C H R I S T O Caesar fuit equior ipsi,  
 Tantò tantus ei gratior hospes erat.  
 Hic non pauca super C H R I S T O rogitatâ putandum  
 Qualia spem signans exitus acta probat. (est,  
 Quam fuit augustum, cum M A X I M U S Æ M I L I A N U S  
 Caesar ad A V G U S T U M letus haberet iter.  
 Qui D R E S D A M ingressus charâ cum conjuge, septem  
 Adduxit socij pignora parva thori.  
 Hic jungunt dextras A V G U S T U S & I N D U P E R A T O R  
 M A X I M U S, hinc astat C H R I S T U S, at inde Fides.  
 Utq; A V G U S T A N Æ fidei confessio scutum,  
 A F E R D I N A N D O pacis adepta viret:  
 Sic cum S A X O N I Æ sacra semina P A N N O N I S ora  
 Auspicijs debet M A X M I L I A N E tuis.  
 O fortunatæ gentes S A X O N I D E rutâ,  
 Quam fert A V S T R I A C I S res sapuisse viris.  
 Queis dono Superùm Latij duo lumina regni  
 Aspectare datum est colloquioq; frui.  
 Te R V D O L P H E simul conferre negocia, teq;  
 C H R I S T I A N E, & fratrum vivere more duùm:  
 Haud secus ac Jonathas Davidi junctus amore,  
 Perpes amicitie fœdus iniisse cluet.  
 Quantis sese animis proceres, Ecclesia quantâ  
 Spe caput attollet vera professa suum?  
 Huic D E V S Imperij capiti vel Apollo coronam  
 Immarcessibilem nectat, ut optat Amor.

Sed

Sed redeo ad nostræ fructus & fertilis umbras  
 ARBORIS, irriguis quam fovet Albis aquis.  
 Hæc patulas fundens per summa cacumina frondes  
 Multiplices populis aurea præbet opes.  
 Dumq; loco satus est πολύκαρπῳ surculus alto,  
 Vult alios fructu participare suo.  
 Qualiter Hermonis delapsi vertice rores  
 In Siona cadunt non sine fruge soli.  
 Hac quia stillantes recreant uligine montes  
 Pabula & existit latior inde seges.  
 Et quoties vietos arbuscula prodiga fœtus  
 Excudit, agricolæ dulcia dona ferunt:  
 Sic ubi Magnates derivant commoda in herbas,  
 Quas sitis urit humi, pauperibusq; favent:  
 (Ceumagis ad terram rami quàm sidera spectant,  
 Brachia quos rapiunt pondere panda suo.)  
 Efficient magnum quasi victo Thrace triumphum,  
 Arborem & accendet fructus amore sui.  
 Qui cupis alterius generis cognoscere fructus  
 Stipite in hoc trifido, Pax erit atq; Fides.  
 Non est consultum, jus querere semper in armis,  
 Interdum prudens plus toga Marte valet.  
 Suavior est tacitæ noctis sopor, arboris umbra,  
 Quàm quæ terrores turbine quassa creat.  
 Nulla salus bello, jacet omnis gloria recti,  
 Miscetur cælo terra, solumq; mari.  
 Non ibi jus, ubi miles atrox sine jure vagatur,  
 Et turbat gladio nobile pacis opus.

Psal: 133.

Spemq; laremq; simul dat flammis & bona nostra  
 Congesta in praedam raptat & aptat equis.  
 Exhaustis populis urbes, fora legibus, aras  
 Cultibus, agricolis arva, pudore decus.  
 Quinetiam diras infert Bellona ruinas  
 Arboribus Libani principibusq; viris.  
 Hic pro pace uti licet armis, arma silescent  
 Ut patriæ & redeat pacis in Orbe decus.  
 Tunc quit in antiquas sedes & rura reduci,  
 Quod Mars destituit cuspide stemma loco.  
 In quo sancta fides se leto culmine spesq;  
 Exerit & melius cras fore semper ait.  
 Dumq; fides foetat ramis exerta bifurcis,  
 Parte sua fruitur patria, parte DEVS.  
 Altera pars homines concernit, ut oia vitæ  
 Et res justiciæ convenienter eant.  
 Altera religio est æternæ cura salutis,  
 Quâ nihil utilius PLANTA trifurca tulit.  
 Ut cum certa via est salvandi, nulla manendi,  
 Mortales discant, quæ sit eunda via.  
 BIBLIA habe, qui vis investigare salutem,  
 Salvandi ratio non rationis erit.  
 Hoc iter ad cælum divina oracula pandunt,  
 Arbor ubi vitæ januaq; ipsa patet.  
 Huc ades & flores tibi carpe, ut pectore pulses  
 Deliquium & possis vivere semper homo.  
 Huic sese inclusit stirps RVTÆ dedita CHRISTO,  
 Constans Imperij surculus atq; DEI.

Iohan: 5.

Apoc: 2.  
Iohan: 10.

Æmula



Æmula natura, quæ verno semper honore  
 Emicat, & viridi stipite salva manet.  
 Tale bonum nobis concessum est NVMINIS aurâ,  
 MISNICA quod vidit gens habuitq; diu.  
 Qui tacet, ille bonum non agnovisse videtur,  
 Et grates DOMINO nescit habere suo.  
 Si facies animo FRIDERICI obvenerit ulli,  
 Cui nomen SAPIENS res benè gesta dedit:  
 Quis feret huic animæ sine fletu justa, revolvens  
 Tanti dona DV CIS, tot benefacta DV CIS?  
 Scimus, ut Augusta Septemvir SAXO JOHANNES,  
 Dum CAROLO procerum sensa fidemq; dedit;  
 Non sine præsentis vitæ discrimine concors  
 Restituit miseris religionis opus.  
 Immortale decus quid non mortalia cogis  
 Pectora per laudes ire parata tuas?  
 Nam sic NATVS amans CHRISTI pro nomine CHRI-  
 Mortis ovans inijt per grave vulnus iter. (STI  
 MAURICIVM videas famâ super æthera notum,  
 Cujus ab imperio MISNIA robur habet.  
 Qui rem Germanam belli gliscente tumultu  
 Rettulit in melius vim tribuente DEO.  
 Hic cum terror erat populis, pugnacibus armis  
 Et patriam & templi texit ab hoste decus.  
 Quid pater in patriam fratris successor adempti  
 Contulit HENRICVS, consule secla DV CIS.  
 MONTE sub IMMUNI sedem sibi fixerat olim  
 Pace tenens homines & pietate DEVM.

Anno 1530.

Iohannes Fri-  
dericus I.

Dux Georgius.

Multa



Christianus I.

Psal: 85.

Multa metallifera largitus civibus urbis  
 Non plus eris opes quam tulit adis opus.  
 Quid memorem AVGVSTI merita augustissima? quæ  
 Plura maris guttis & quoq; nota Getis. (sunt  
 Successoris item? cujus prudentia mira  
 Et spectata fides, quam cano, major erat.  
 Si vacet annales audire, ELECTOR, avorum,  
 Vivere quos præstet, quos obÿsse gemo:  
 Verba mihi citius deerunt quam copia rerum,  
 Nec capiet noster nomina nuda liber.  
 Quid modò de vestra celfo pietatis honore,  
 Non ego sed patriæ Numina fentur, habe.  
 Nec mihi vera loqui pudor est, cum testis habetur,  
 De notis fas est vel sine teste loqui.  
 Quis non, cum fasces caperes, applausit honori?  
 Quis non læticiæ signa ferebat ovans? (tum,  
 Quòd Themis & Pietas redière in castra paren-  
 (Faxit ut aspiciant se sine nube DEVS)  
 Quòd Pax & Bonitas jungunt sua rostra sorores,  
 Atq; viget terris gloria, in Orbe salus:  
 Munus id omne DEI est & Principis Arboris um-  
 Sub quâ justiciæ laus manet atq; DEI. (bra,  
 Quòd si cuncta velim decerpere ab Arbore poma,  
 Dum decussa modò colligo, quantus eris?  
 Dona tamen justum est authori accepta referre,  
 Hoc renuisse hominem dona negasse putes.  
 SED memor, unde abij, repetam fastigia rerum,  
 Cum querat portus fessa carina suos.

Qui

Qui Dominus DOMINI est observans, ille locari  
Inter clara poli sidera dignus erit.

Qui sacra jura DEI colit atq; propagat in Orbe,  
Is jubar expandens stella corusca DEI est.

Quem gregis & legis commendat cura Regentem,  
Ille suum meruit nomen ad astra vehi.

Qui patriam meritis auget, virtutibus ornât  
Imperium, populi gloria prima sui est.

Qui cum Marte togam conjungit, & ocia Musis  
Efficit, & fidei sancit in aede decus:

Qui vatum studijs favet ac indulget honori,  
Laudibus hunc dignum censet Apollo cani.

Non quòd laude putes accedere lumen honori,  
Sed quia virtutis GLORIA finis erit.

TALIS in Imperio supremo extollitur Arbor  
Fratrum celsa TRIAS SAXONE patre sata.

Quos tamen inter se distinguit adultior etas,  
Et qui sceptrâ gerit dignior ordo gradu.

SALVE Arbor conferta DEO, pars inclÿta sacri  
Imperij, patriæ cura salusq; tuæ.

In quâ spes hominum regniq; innixa recumbit,  
Et sub quâ querule conglomerantur aves.

Quas turbare solet Cuculorum ingrata propago,  
Et maculans nidos Vpupa fœda suos.

Hunc nuper nigrans crocitantî gutture Corvus  
Cum SVE non timuit contemerare gregem.

Quos tamen egregio CRGVNVS clamore represit,  
Ut cum Tharaides de strue terret aves.

Et quia

Gen: 15.

Qui

Augustus Cæsar.

Exod: 13.  
Num: 14.  
Ps: 78. 105.

Et quia ruta potest virus depellere, nunquam  
 Sub DVCE RV TIGERO bufo vel anguis erit.  
 Sit licet obliquo fera bestia dente timenda,  
 Et lateat serpens gramine, rana scrobe:  
 Non tamen inficient fruticem, neq; dira nocebunt  
 Erectis CHRISTI rore venena comis.  
 HVC agimus magnas imo de pectore grates,  
 Qui fuit AVGVSTI tempore natus HOMO:  
 Quod custodivit nobis hoc GERMEN & HORTVM,  
 Quod terris Dominum reddidit hisce suum.  
 Quem salvum eduxit patriâ salvumq; reduxit,  
 Et foris occulto textit ab hoste DEV S.  
 Scitur enim, quantis HEROVM vita periclis,  
 Quantis fortunæ casibus aula patet.  
 Quas struit insidias sanctis Phlegetontius hostis,  
 Has vel mille putes sustinuisse DVCE S.  
 Quò magis exuperant arbusta cacumine sylvis,  
 Hoc magis exponi flatibus illa vides.  
 Sed DEV S angelicis protexit SAXONA turmis,  
 Et rexit miti fronte triforme decus:  
 Qualiter Abramidæ per inhospita tesqua nepotes  
 Duxit & ostendit nube vel igne viam.  
 TRISTIS erat facies totâ regione per urbes  
 Perq; domos, patriâ patre carente suo:  
 Non secus ac brumâ lugent sua rura puellæ  
 Floribus amissis & filet omnis ager.  
 Aut si fortè domus mœret rectore remoto  
 Atq; dolet Dominum non habuisse suum.

STER-



STERTUERIT terras quatiens suo acinace Turca,  
 Vis, fraus, insidie pervigilare domi.  
 Cui non terrores incussit lethifer annus,  
 Semina cum pestis spargeret ira DEI?  
 Cum subito membris tabes miserandaq; venit  
 Contages miseris transitione nocens.  
 Linquebant dulces animas aut agra trahabant  
 Corpora corrupti pestilitate viri.  
 NUNC iterum gaudet tellus examinis instar  
 Rege potita suo, & more susurrat apum.  
 Nunc iucunda novo sustollunt jubila plausu  
 Oppida & exultant pastor & ordo gregum:  
 Non aliter quam cum Sol recreat omnia vere,  
 Flosq; redit campis arboribusq; comæ.  
 Tunc Dryades choreas repetunt & carmina Fauni,  
 Et volucrum varijs personat aura sonis.  
 Aut veluti sponsus sua quando ad limina sponsam  
 Advehit, ingenti gaudia laude parat.  
 Gestit DRESDA: suum manet in fulgentibus armis  
 ENSIFERVM reducem continuata cohors.  
 Hinc reliqui cives reducem venerantur, herumq;  
 Ipsa suum letis excipit aula tubis.  
 Tum jaciens rapidas ingenti murmure glandes  
 Plurima leticie machina signa trahit.  
 Tympana vim voti, vim vocis habentia plectra  
 Ut Salomonis erant, dant simulacra precum.  
 Sic Osianna canunt CHRISTI subeuntis honori  
 In Solymam pueri: vilia, vota tamen.

1. Reg: 1.  
Matth: 21.

Nosq;

Nosq̄, decet gratos nos exhibeamus ut ipsi;  
Imâ si summos mente verere, sat est.

INGredere, ô CHRISTIANE, lubens cum Fratribus  
Dilectâ socij conjugè parte thori. (Et cum  
GRATIA sit SUPERIS, Laribus qui teq̄, tuosq̄,  
Incolumes comites restituere suis.

Quòd gemitus nostros non Æolus abstulit, Et quòd  
Leta bonis avibus Fratria littus adit.

Fac DEVS, ut Pyliam vivant in pace senectam,  
Et novus ex veteri mollius annus eat.

Ne, quod ad Albiacas fatis attollitur oras,  
Hoc RVTÆ ledat Stemma triforme caper.

SALVE Arbor frondosa, tuos Vitæ Arbor honores  
Æternum tegat Et nos tua dextra tegat.

Suffice tutelam Gruibus timidisq̄, Columbibus,  
Quæ se commendant frondibus ecce tuis.

HÆ sunt, quæ pacem docili sub gutture portant,  
Atq̄, Magistratum magnificare student.

Fac, qui consilijs servant Dominumq̄, Domumq̄,  
Servati superent spe meliore dies.

Vt Philomela tuâ sese delectet in umbrâ,  
Sive foro legem, seu sonet æde fidem.

Vt Cassita, suâ quæ Numina voce salutat,  
Concinat imperio digna ministerio.

Vt Crægnus maneat, quo non est dulcior alter,  
Ne DEVS hunc, oro, ne sinat aula mori.

Vt, cum fulmen habent Rex Jupiter Et Jovis ales,  
Propiciâ plaudant, ut nemus omne, manu.

Esa: 55.

Δόξα Θεῷ.







2. n. 28, 18.



SE  
ET  
PR  
DN:

DVC  
Cum exc  
atq adeo u  
ficentissim

Circa C  
M, Ni

Fribergæ H

300

S  
S  
I.

O  
BVS  
magni-  
R-

D:



V c  
3142



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black